



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,  
Commentarii**

**Sacchini, Francesco**

**Ingolstadii, 1616**

Ad Lectorem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41515**



## AVTOR LECTORI.



Itam PETRICANISII edidit anno priore Matthæus Raderus noster, homo pereruditus, & accuratus, haud vno opere notus seculo. Ceterum, quia in communi Societatis nostræ Romano tabulario alia extabant plurima, quæ nisi à scriptore ipso satis commodè eximi, ac depromi nequirent, ea fuit causa mihi de integro subeundi laboris. Habes igitur, benèuole Lector, de vita, rebusque gestis maximi eius viri à me Commentariorum libros tres. Placuit per annos describere. Quippe notatio temporum, & veritati munimentum est, & intelligentiæ lumen aduersus confusionem, & præterea subsidio memoriæ. Libri modici sunt, vt requiescas ante fatigationem: & partitionem ipsa res attulit. Namque primus complectitur annos eius vitæ quinque & triginta ante Prouincialatum. Alter quatuordecim, quos in administratione Prouinciæ egit. Postremus reliquos duode-

trigin-

triginta vsquē ad septimum ac septuagesimum,  
quo anno est mortuus. Commentarios malui di-  
cere, quod videbar potius collegisse, ac disposuisse  
cum cura, & fide has res, quàm ad historiæ perfe-  
ctionem satis illuminasse. Non alienum visum est  
inferere aut Canisij, aut magnorum virorum in-  
terdū epistolas, quamquā modicè id pro præter-  
missis, est factum. Nam si præsentium ad præsentem  
magnam partem ex ingenio assimilatos sermo-  
nes primi Historicorum in libros suos inculcant:  
absentium inter se verba si non æquè declamato-  
ria, certè non minus apta, vera etiam nimio magis,  
cur omninò ipse præterirem, & non nemini ex v-  
su futura obrui silentio paterer? Pleraque rerum ex  
ipsis petita sunt literis in re præsentem scriptis, qua-  
rum penes nos fermè autographa, aut exempla ex-  
tant. Plurimæ earum ipsius manu Canisij scriptæ  
sunt. Etenim, vt erat vir totus è Præsidium volunta-  
te aptus, sua cum eis omnia candidè, ac diligenter,  
vti iuebatur, communicabat. Ex qua parendi  
simplicitate, præter alium multiplicem fructum,  
duo velut additamenta est consequutus: primùm  
vt memoria rerum suarum cum sui celebritate  
nominis plenior ad Posterios iret, quod nec agebat,  
nec

nec pensi habebat. Alterum vt nobis quoq; ven-  
turisq; seculis præclara eius prudentiæ documen-  
ta, & præstantium virtutum exempla commodo  
essent: quod tametsi non agebat, ab eius tamē ca-  
ritate non abhorrebat. Eædem duæ nobis cau-  
sæ, secundum Numinis gloriam, talia vulgandi  
fuere: easdemque tibi, optime Lector, esse velim  
legendi. Vale.



## MVTIVS VITELLESQVS,

SOCIETATIS IESV PRÆPOSITVS

Generalis.

*Cum de vita & rebus gestis P. Petri Canisi de So-  
cietate IESV, commentarios, auctore Franci-  
sco Sacchino de Societate eadem, Tres eiusdem  
Societatis, quibus id commissum fuit, recogno-  
uerint; & in lucem edi posse probauerint; facul-  
tatem concedimus, vt typis mandentur, si ita  
iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fi-  
dem has literas manu nostra subscriptas, & si-  
gillo nostro munitas dedimus. Romæ XXIII.  
Ianuarij. M. DC. XVI.*

Mutius Vitellescus.